

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quintâ, mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. LUDOVICO-MARIA POUSSE, Doctore Medico, Præside.

An VERSALIARUM *salutaris aër?*

I.



SANITAS feliciſſima ſors, quâ nihil homini præſtantius, nihil expetendum magis. Quid enim? Cæca tibi ridens vultu fortuna ſereno immenſas largitur opes? Sanitatem natura negat? Injucundè vivis, miſer es. Sanitas ſola dat felicis tempora vitæ. Illam qui nactus eſt cæteris naturæ donis lætus fruitur, egregiis animæ corporiſque dotibus excellit, utriuſque functiones obit integerrimè. Primum eſt juris naturalis principium nulli non ingenitum, ſupra cujus ſenſum nullus eſt ſenſus. Ipſi ſub HIGIÆ & SALUTIS nominibus templa dedicare, aras conſecrare, vota ſolvere tanquam potentiſſimo Numini gentes olim pro religione habuerunt *. Sola Medicinæ finis eſt. Non ergò vivit miſerè qui vivit medicè : nequè enim ſeveris

* Voyez la Diſſertation de M. Gros de Boze ſur le culte que les anciens ont rendu à la Déeſſe SALUS.

obligat Medicina legibus; at quæ in ſex rerum nonnaturalium * uſu, ſingulis, pro ætate, temperamento, regione, anni tempeſtate accommodatiora, quæ jucundiora docendo, ita ſanitati conſulit, ut hanc conſervare, morbos præcavere, vitamquè ſuavem in multos protendere annos præſtantiſſimum ſit Medici officium. Inter cætera, quæ ad tam beatum finem aſſequendum conducunt, non eſt pluribus impar AER, cujus tanta eſt omnibus animalibus neceſſitas, ut abſque illius commercio ne minimam quidem percipiant vitæ uſuram. Nullum in tot generationum ſpeciebus memorabis, quod perenni Aëris communione non gaudeat, ſivè perfectum vocare, ſivè imperfectum animal placuerit. Ipſa etiam vegetabilia, imo & mineralia per organa, quæ unicuique propria fabricavit alma Parens Natura, ad vitæ ſui generis implenda munera aërem jugiter excipiunt. Horum germinations & lætæ vireſcentiæ, illorum actionis & functionis cujuſlibet principium, utrorumque ſanitatis aut morborum, vitæ vel necis fons eſt. Talis nempè vita qualis eſt Aër, prout vel bellè comparatus, vel vitiatus, corporis partes tam internas quàm externas laudabiliter aut moleſtè afficit: ſivè enim pulmones ſubeat, ſivè totam corporis habitudinem comprimat, reſpirationi aut perſpirationi famulaturus, ſivè cum ſalivâ & alimentis deglutitus chylo immiſceatur, ſivè alio quocumquè modo communicetur, maxima profectò in his ſunt ad ſanitatem tuendam vel lædendam momenta.

II.

RESPIRATIO duplici & reciprocâ ſic perficitur actione ut inſpirationi ſuccedente ſemper expiratione, aſſiduis & alternis vicibus aër pulmones influat, ab eiſquè foras elidatur. Neceſſariam adeo reciprocationem ſanguini refrigerando atquè condenſando, non attenuando atquè fervefaciendo dicatam eſſe tradidit artis Medicæ Princeps HIPPOCRATES, ſuumquè illi ſecretum Naturam revelaſſe demonſtrant Illuſtriſſimi HELVETII inventa **. Cum enim inter benè multa, quibus Rem locupletavit Anatomicam Vir non minùs in Medicinâ Theoreticâ peritus, quam in Praxi felix, deprexiſſet ramos venoſos pulmonares numero & capacitate minores eſſe ramis arterioſis pulmonaribus, modo planè inverſo ac in reliquis corporis partibus; tum attendendo cordis auriculam ſiniſtram & ventriculum ſiniſtrum, quorum utrumque venis pulmonaribus reſpondet, pollere capacitate minori ac auricula dextra & ventriculus dexter, quæ arteriis reſpondent; inſuper ſanguinis quantitatem, quæ ex dextrâ cordis parte in arterias pulmonares tranſit eandem eſſe quæ in venas pulmonares, & ex his in partem cordis ſiniſtram ingreſſura eſt; hinc concludendum ſanguinem aliquam neceſſariò pati mutationem. Porrò cum ſanguis impulſione cordis, pulſibus arteriarum & preſſione muſculorum vehementiſſimè agitetur, vi novâ non opus eſt, ut acceleretur illius motus; hinc certiſſima oriretur in œconomiâ animali diſſolutio; ſed moderamine indiget quo motus illius temperetur. Paratum autem ſibi illud invenit in pulmone moderamen. Ibi aër frigidior aut minùs calens ſanguine provoluto æſtum illius compeſcit, globulos adunat; hinc ſanguis coactus molem acquirit ad hoc requiſitam, ut intrà datum tempus deferatur per venam pulmonarem ad ſiniſtrum cordis ſinum eadem ipſius quantitas, quæ è dextro ventriculo in arteriam pulmonarem impulſa fuit, abſquè eo quod acceleretur velocitas ſanguinis per ramos venoſos pulmonares... Non minus quam Reſpiratio ab aëre plurimum pendet Perſpiratio, quâ per hiantia minutiſſimorum tubulorum, tum ex miliaribus cutis glandulis naſcentium, tum ex ſimilibus glandulis in bronchia & trachæam deſinentium oſtia, tenuiſſimus humor tantâ copiâ excernitur, ut omnes alias excretiones ſimul ſumptas exſuperet. At quantum ad Reſpirationem, tantum ad fovendam Perſpirationem confert aër cui æquabiliter circumpoſito totum corpus innatat; quemadmodum vero ab illius functionis, hujuſquè excretionis integritate laudabilis promovetur ſanguinis circuitus, præcavetur plethora, innumera morborum cohors arcetur, ita ex alterutrius tarditate raucitates, anginæ, catarrhi, tuſſes, aſthmata, phthiſes, hæmoptyſes, pleuritides, peripneumoniæ, gravedines, rheumatiſmi, variæ arthritidis ſpecies, ſcorbutus, febres, hæquè interdum mali moris, hydropes, ſtrumæ, ſcrophuli, ſcabies, ſimileſquè alii œconomiam animalem perturbantes affectus generantur... Nec levem ſanitati tutelam aut labem infert cum ſalivâ & alimentis deglutitus, aut per cutis externam corporis ſuperficiem obveſtientis, & trachææ, bronchiorum, veſicularumvè pneumonicarum poros, aut per viſûs, olfactûs, auditûſque organa ad ſanguinem appellens aër. Verbo variis quibus præditus eſt dotibus, omnes ferè tribuendæ ſunt, quæ in functionibus tam

* Dicuntur res nonnaturales. 1°. Aër. 2°. Cibus & Potus. 3°. Motus & Quies. 4°. Somnus & Vigilia. 5°. Excreta & retenta. 6°. Animi Pathemata, quia œconomiæ animalis naturam (compoſitionem ſcilicet) non ingrediuntur.

** DD. Joann. Claud. Adrian. Helvetius, Regi à Secretioribus Conſiliis, Reginæ Galliarum Archiat. Doct. Med. Par. Regiæque Scientiar. Acad. Soc. in Actis R. S. A. P. ann. 1718. & 1728. & in Opere ſingulari cui titulus *Eclairciſſemens concernant la maniére dont l'air agit ſur le ſang dans les Poulmons.*

animæ quàm corporis fiunt mutationes; hinc varia ſunt variarum gentium temperamenta, mores varii.

I I I.

QUANDOQUIDEM tanta eſt aëris in Corpore Humano efficacia, palam fit quàm benè Populorum ſaluti, felicitati conſuluerunt quicumque in condendis Urbibus ſalutaris aëris reſpectum habuerunt. Talis fuit LUDOVICI MAGNI Providentia in ſeligendo ſibi, ſucceſſuriſque Galliarum Imperatoribus ad habitandum VERSALIARUM ſolo. Pluribus commendabiles ſe præbent VERSALIÆ, quibus innoteſcit aëris ſalubritas. Laudantur Urbes quæ ſolis naſcentis radiis expoſitæ ad Septentrionem leviter potiùs inclinant quàm ad meridiem. Ille ipſe eſt Regiæ Domûs & Urbis VERSALIARUM poſitus. Collis molliter aſſurgit, illa quaſi magiſtra, aliis ad juſtam & æqualem altitudinem juſtamque diſtantiam Monticulis, velut coronâ quâdam circumcincta, medio ſe conſpiciendam facit loco; in ejus ſuperatæ planitie tantum fuit ſpatii, quantum ſatis ad apparandum REGI Potentiſſimo & Magnificentiſſimo Palatium, cui nullum aliud par, ut ipſe ſine pari. Diceres omnia artis & naturæ pretioſiſſima quæque ornamenta eo confluxiſſe, ſeu Ædificiorum ordinem & modum, ſeu Conclavium elegantiam, multitudinem & commoditatem, ſeu Picturæ, Sculpturæ, operis muſivi & vermiculati lepores & divitias expendere detur; in eo plus omnium generum marmoris reperias quàm uſquam alibi; auri incruſtationes exteriùs ſi ſpectantium oculos movent ad illicium, interiùs laquearium nobiliſſimæ & artificioſiſſimæ exornationes ad ſtuporem animum percellunt. Quid de aureâ, argenteâ & quâvis non aliâ divite & pretioſiſſimâ ſuppellectile, antiqui & novi operis, dictu opus eſt? Quid de viridariis gratè ridentibus, in quibus Salientium aquarum mille luſus: tantum iſtud eſt veri, ut, ſi Domus hæc ſuo ſitu ſit unicè conſpicua, cætera ad ſitum ita reſpondere videntur, ut Maximo & Sapientiſſimo REGE digna putaretur, ni ipſe omni re eſſet ſuperior. Poſitus iſte Domûs Regiæ nullo Monticulorum, aut Viciniorum, aut Proceriorum objectu diſturbatus, aërem purum, nullâque caliginoſorum vaporum malignitate inquinatum excipit; & quamvis omnibus ex quo ventis obnoxius eſſe poſſit, Septentrionales, aeris Scopas, & Orientales Salubetrimos potiſſimum admittit. Urbs autem incolarum multitudine & commeantium hominum crebritate conſpicua, etſi in decliviori loco ſedeat, haud abſimiles aëris laudabilis dotes experitur; undique cùm ſit perflabilis, nullas Occiduorum aut Meridionalium ventorum patitur læſiones: non ea eſt Monticulorum ſatis diſſitorum altitudo quæ illam faciat æſtuoſam, aut illam ponat in profundo; eodem ac Domus Regia ad Solem exorientem & ad Septentrionem fruitur aſpectu, eodemque Salubritatis beneficio. Unus Colliculus Monbauronius, importunâ viciniâ, ſalutares iſtos ſolis naſcentis radios commorari, aëriſque puritati atque illuſtrationi, non tolerandâ ſuperbiâ, obſiſtere par erat. At qualis erat Regis Sapientiſſimi ſolertia, quantum civium ſervandorum ſtudium, illum velut læſæ valetudinis reum amputandum & capite minuendum eſſe decrevit, ſic ut quo ipſe majori aëris libertate uteretur, & quò cives ſalubriùs degerent, nec montibus ipſis parcendum ſibi eſſe exiſtimaverit.

I V.

QUANTUM ad aëris Salubritatem conferant aquæ, quàm miras proindè ad bonam valetudinem vires obtineant in dubium non revocaverit quiſquis aquarum particulas ſolis calore in altum elevatas, continuâ ignis ſubterranei actione ſurſum propulſas, ventis quaquâ verſum difflatas, aëri maximâ copiâ immiſceri conſideraverit. Laudabiles aquas non de ſuo duntaxat fundo, ſed advectitias ubertim habent VERSALIÆ, per tubulos primùm plumbeos, mox ad majorem Salubritatem per ferreas exagogas, & per aquæ ductus lapideos publicis fontibus alendis adductas, quarum ope fervor & ſiccitas emendetur. Aquarum copiam in viridariis nullus ſatis commemoraverit; diceres ex ipſius ſoli viſceribus erumpere, quæ ex longinquo mitis artibus adveniunt. Sine arte ad Septentrionem lacus eſt inſignis magnitudinis; is cùm fontium non paucas in ſe habeat ſcaturigines, undam profert non ſtagnantem, non paludoſam & terrâ Mephiti noxiam, ſed errantem & in perpetuo motu poſitam, quæ ſi incolis ad potum non cedit, jumentis eſt innoxia; accedunt ad meridiem ex circumpoſitis Monticulis deciduæ in camporum planitiem aquæ non paucæ, ex quarum ſtagnatione paludoſa olim & inſalubris veteris pagi funditùs deleti incolis habitatio eſſe poterat, ſed quæ jam aquæ ductibus ſubterraneis exceptæ, aut, ad loci amœnitatem, in capaciſſimos alveos collectæ, multùm utilitatis, jucunditatis non minùs afferre queant; nam quæ hìc uda aliàs, paludoſa & nimio aquæ putrentis pœdore inſalubria loca, jam reſiccata multam aëris corruptelæ occaſionem præripiunt, velut plurima per artem in viridariis aquarum copia ejus fervori & ſiccitati inimicatur.

V.

SALUTARIS aëris magnum idque certiſſimum eſt argumentum proſpera incolarum valetudo. Nulli ſunt apud VERSALIAS morbi endemii, nulli epidemii; non ibi frequentiùs ſe offerunt Medicorum diligentiæ febres tertianæ, ardentes, malignæ; non ſapientiæ morbi, non ſplenes magni & ſkirrhoſi, non cachexia, non ſcorbutus, non hyderus, non phthiſis, non calculus, non diarrhæa, non dyſenteria, qui effectus ad aëris fervorem & corruptelam, vel ad aquarum & ſoli pravitatem ſolent eſſe conſectarii. Incolarum ſi robur, ſi colorem elegantem, ac nitidum, ſi bonam corporis habitudinem, ſi longævitatem ſpectes, omnia ſanitatem loquentur. Aliàs dum ad ſuperbi adeò Palatii, ad urbis ipſius ſtructuram ſolum ubiquè vertebatur, cum artificum ſordidorum multitudine locus erat refertus, cùm nondum adductæ ſalutares aquæ, cum plurimus circùm campus paludoſus eſſet & fœtore gravis, cùm rerum omnium ad alenda reficiendaque corpora conducibilium ea, quæ jam eſt, ibi non adeſſet annona, ſuum libitina exercere potuit imperium, & urbis inſalubris futuræ ſuſpicionem movere; nunc autem ſummâ LUDOVICI MAGNI providentiâ res eò ſunt deductæ, ut ſalubriter apud VERSALIAS ad ſenectutem remotiſſimam vita protendatur; hinc eſt quod REX MAXIMUS, Regiaque familia inculpatâ gaudeant valetudine, quæ diuturna ſit futura, votiſque pro illius incolumitate, quâ SALUS PUBLICA * continetur, ſua ſint præmia. Spei favent laudabilis VERSALIARUM ſitus, temperata cæli & ſoli conſtitutio, ex quibus potiſſimum pendet aëris ſalubritas. Jure itaque concludimus.

* Plin. in Panegyr. Trajan.

Ergo VERSALIARUM *ſalutaris aër.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS-SALESIUS-DANIEL POULLIN, Aurelianus, Doctor Medicus Monſpelienſis, è Regiâ Scientiarum Societate Monſpelienſi, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.



Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.